

103 [=68] lapis longus pedes $5\frac{1}{2}$, altus poll. 22 VOY. PITT. Litteras optimaе notae esse ait PARTITARI; contra la forma delle lettere è de' tempi bassi perchè VI è gotico e il dittongo Æ stà unito, nè le altre lettere sono migliori, ma non può essere apocrifa, perchè si è trovata in un podere della nobile famiglia Pepe, e da un pezzo in quella città manca chi possa averla finta e sotterrata NOV. FIOR. Prope Squillace reperta a. 1762 in loco dicto la Maddalena duobus m. p. a mari, M p. a monte Moscio, viginti passibus a fluvio PARTITARI. Extat in camera sub quadam domo VOY. PITT. — Squillacii inscriptionem editam extare ait BROCCHI *bibl. Ital.* 17 p. 219, quae non potest esse nisi haec. Cf. etiam GRIMALDI *studj sulla Calabria ult.* 2^a p. 35.

IMP · CAESAR · T · AELIVS · HADRI
ANVS · ANTONINVS · AVG · PIVS · PONTIF
MAXIM · TRIB · POTEST · VI · COS · III · P · P · IMP · II p. C. 143
COLONIAE · MINERVIAE · NERVIAE · AVG
5 SCOLACIO · AQVAM · DAT

Ianuarius Partitari de hoc lapide scripsit peculiarem commentarium (in inscriptionem prope Scolacium effossam comm. Neap. 1762. 4. pp. 29), unde excipserunt alii, ut e. c. Vargas Macciucca *spieg. di un raro marmo greco* (Neap. 1791) p. 8. Eodem anno ediderunt editores *Nov. Fior.* 1762 p. 288 cf. 1765 p. 59. Ex lapide dedit *Voyage pittoresque* T. III p. 112. Frater Archangelus de Squillacio descripsit *Donato* 349, 8; denique Kellermanno descripsit Scheppig. Orelli 136.

In vv. div. secutus sum Scheppigium et Partitarium consentientes; similiter *Voy. pitt.*, nisi quod ibi HADRI reicitur ad v. 2; in Nov. quattuor ineis absolvitur quae finiunt vocabulis ANTONINVS, P·P, SCVLACIO, DAT. — 1 AELIVS NOV. — ADRIANVS Part. — 2 PONT Part. — 3 VI] IV Part. — 4 NERVIAE om. *Voy.* — 5 SCOLATIO *Voy.*, SCVLACIO Nov.

Titulum, cuius ectypum ut acciperem nequicquam saepe temptavi, genuinum esse apparet propter nomina imperatoris et oppidi falsarium quemvis superantia, maxime formam Scolacium pro Scylacio, de qua videnda est capituli praefatio. Itaque si verum est, quod de litteratura refert ephemeris Florentina neque ea, quod credo, litteratura fuit apographi magis quam archetypi, titulus medio aevo ad vetustum exemplum restitutus sit necesse est pariter atque Tergestinus vol. V n. 525. Vindicavi eum in commentario inserto actis minoribus soc. Lips. a. 1849 p. 51.

V. AGER TEVRANVS (*Tiriolo*). *Catanzaro*.

104 Tirioli, qui est vicus in Bruttis mediterraneis nono a Catanzaro lapide, a. 1640, cum ibi fundamenta aedium principis eius loci Io. Bapt. Cigalae iussu effoderentur, inter plurima antiqua rudera, columnarum scapos integros fractosve, zophoros, epistylia (verba sunt Matthaei Aegyptii) reperta est tabula aenea servata hodie Vindobonae in museo publico, quam relatam vol. 4 n. 196 hic quoque apposimus.

1 Q. Marcus L. f., S(p.) Postumius L. f. cos. senatum consulerunt n. Octob.
2 apud aedem | Duclonai. Sc(ribendo) arf(uerunt) M. Claud(ius) M. f.,
L. Valeri(us) P. f., Q. Minuci(us) C. f. §
3 De Bacanalibus quei foideratei | esent ita exdeicendum censuere.
4 Neiquis eorum Bacanal habuise velet. Sei ques | esent, quei sibi deicerent
5 necesus ese Bacanal habere, eis utei ad pr(aetorem) urbanum | Ro-
6 mam venirent deque eis rebus, ubi eorum verba audita esent, utei se-
7 natus | noster decerneret, dum ne minus senatoribus C adesent, quom ea
8 res cosoleretur. | Bacas vir nequis adiese velet ceivis Romanus neve
9 nominus Latini neve socium | quisquam, nisei pr(aetorem) urbanum adie-
sent isque de senatuos sententiad, dum ne | minus senatoribus C adesent
quom ea res cosoleretur, iousiset. Censuere.
10 | Sacerdos nequis vir eset. Magister neque vir neque mulier quisquam eset. §
11 | Neve pecuniam quisquam eorum comoinem habuise velet neve magi-
12 stratum, | neve pro magistratud neque virum neque mulierem quiquam fecise
13 velet. | § Neve post hac inter sed coniuorase neve comvoyise neve con-
14 spondise | neve compromesise velet neve quisquam fidem inter sed dedise
15 velet. | Sacra in oquoltod ne quisquam fecise velet, § neve in poplicod neve
16 in | preivatod neve extrad urbem sacra quisquam fecise velet, § nisei
17 | pr(aetorem) urbanum adieset isque de senatuos sententiad, dum ne
18 minus | senatoribus C adesent, quom ea res consoleretur, iousiset. Censuere.
19 20 | Homines plous V oinvorsei virei atque mulieres sacra ne quisquam | fecise
21 velet, neve inter ibei virei plous duobus mulieribus plous tribus | arfuise
velet, nisei de pr(aetoris) urbani senatuosque sententiad, utei suprad
22 | scriptum est. §
23 Haice utei in coventionid exdeicatis ne minus trinum | noundinum; senatuosque
24 sententiam utei scientes esetis § — eorum | sententia ita fuit; sei ques
25 esent, quei arvorsum ead fecisent, quam suprad | scriptum est, eis
26 rem capitalem faciendam censuere — § atque utei | hoce in tabolam ahe-
27 nam inceideretis, ita senatus aiquom censuit; | uteique eam figier iou-
28 beatibus ubi facilumed gnoscier potisit; § atque | utei ea Bacanalia, sei
29 qua sunt, extrad quam sei quid ibei sacri est, | ita utei suprad scriptum
30 est, in diebus X, quibus vobeis tabelai datai erunt, | faciatis utei dis-
mota sient § in agro Teurano.

De hac epistula, quam ad Italiae municipia et in universum κοινά omnia consules a. u. c. 568 dedisse apparet, quae et alii ante disputaverunt et nos exposuimus l. c., hic non repetemus; dicendum autem foret hoc loco de agro Teurano, cuius incolis destinatum fuit id quod hodie superest exemplum, si quid de eo praeterea innotuisset. At quae cum eo propter aliquam vocabulorum similitudinem composuit Aegyptius Tauriana, ea ex itinerariis (p. 2) constat fuisse loco plane diverso, nempe a meridie Nicoterae, ibi fere ubi nunc est Rosarno, ibidemque fuerit necesse est *Taurinum* (sic codex) Melae 2, 4, 68, *Tauroentum* Plinii 3, 5, 73, *Ταυριανὸς κόποςτος* Ptolemaei 3, 1, 9 (excidit idem ex corrupto loco Strabonis 6, 1, 5 p. 256), neque aliam urbem intellegunt Livius 25, 4 narrans una cum Consentinis Taurianos bello Hannibalico mature in fidem populi Romani rediisse, et laterculum militare vol. VI n. 2379 a 1, 59, ubi invenitur miles oriundus *Taurian(is)*, et Gregorius Magnus, apud quem frequens eius mentio est (pp. 1, 44. 2, 16. 17. 9, 48. 10, 16). A Strabone autem 6, 1, 3 p. 254 quae in mediterraneis huius agri parum accurate descriptis commemoratur ἡ Ταυριανὴ χώρα λεγομένη supra Thurios sita, cum a Taurianis illis omnino diversa fuerit, non magis ad Tiriolum revocari poterit, nisi forte locum perperam omnino Strabo indicavit. Itaque agri Teurani certa memoria apud scriptores nulla superest. Ex ipsa autem loci indicatione quae est in tabula non sine specie veri colligas agrum Teuranum non suam rem publicam habuisse, sed territorio vicinae alicuius rei publicae comprehensum fuisse. Crotoniatum eum fuisse probabile est (cf. Strabo 6, 1, 11 p. 261), si quidem Scolacium eorum mansit, donec colonia eo deducta est. Potest tamen item ager Teuranus sexto saeculo populi Ro-

mani fuisse adeptus Crotoniatibus necdum colonis divisus. Nam ut clandestina Bacchi sacrificia extirparent, consentaneum est consules non in municipiis coloniisque solis edixisse, sed pro re etiam in foris et conciliabulis.

3 SACANAL, 5 VTR A aes. — 6 QVOM E deficit spatio vacuo relicto. — 9 IOVSISENT, 12 MAGISTRATVO, 15 DQVOLTOD, 18 IOVSISENT aes. — § signum ubi cernitur, ad comma denotandum in lapide spatium vacat.